



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. X. Præsidio Crvcis mare sæculi transfretandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT X.

*Præsidio CRVCIS mare seculi
transfretandum.*

Per multas tribulationes oportet nos
intrare in regnum cælorum.

Actor. 14, 21.

*Non timet Aeolios ratis hæc fera flamina,
fratres,
CRVX malus, remus, CRVX cui clauus
adest.*



VM longo satis tempore VIAM
CRVCIS Staurõphila peram-
bulasset, iamque salutare il-
lud onus tantum amare, quã-
tum principio horrere didicif-
set; appropinquabat tandem viæ vitæque
terminus: quando Christus sponsam suam
recreare volens, naui impositam docere cœ-
pit, vt CRVCIS præsidio per sæculi huius
pelagus turbulentissimum, ad cælestis patriæ
portû transfretare oporteret. Et age, inque-
bat, ô Staurõphila, quod reliquum est iti-
neris commodiùs hac naui mecum confi-
cies, non longè enim es à patriâ, & deside-
rato toties sine. Sic autem contingit homini

A a

in

Per multas tribulationes oportet nos
intrare in regnum cælorum. Act. 14, 21.



Non timet Æolios ratis hæc, fera flamina, fratres:
CRVX malus, remus, CRVX cui clauus adest.

in hac vitâ, tamquam si videat quisque de longinquo patriam, & mare interiaceat; videat quò eat, sed non habeat quâ eat. Sic & ad illam stabilitatem quæ est in cælo, volunt homines pervenire, sed interiacet mare huius sæculi quâ eundum. Ut ergo esset & quâ irent, veni ego inde ad quem ire volebant. Et quid feci? Institui lignum quo mare transeat. Nemo enim potest transire mare huius sæculi, nisi CRUCE portatus. Hanc CRUCEM aliquando complectitur & infirmus oculus, & quia non videt longè quò eat, non ab illâ recedat, & ipsa illum perducet. Mare transeundum est: noli lignum contemnere, quia quâ transeat ad patriam non est, nisi ligno porteris: in mari enim ambulare non potes, sicut ego ambulavi; navi ergo portare. Eripe te, si potes, à submersione: si non vis mergi, tabulam apprehende, ligno portare, CRUX te perducet.

August.
Tract. 2. in
Ioannem.

August. in
Psal. 51.

Perlibenter, aiebat Staurophila, portari me permisero, quæ CRUCEM hæctenus, & sæpè etiam permolestam portavi. Verùm, quod aliàs considerasse me vix memini, quàm multa hîc cerno CRUCIS mysterium oculis animisque ingerentia. Quid enim anchora aliud quàm geminata CRUX? Signum quoque CRUCIS naturaliter visitur in ipsâ navi, cum velis tumentibus vehitur, cum expansis palmulis labitur. Mare enim non

Miaul.
Felix in
Octavio:
Iustin.
Martyr
Apolog. 2.

scinditur, nisi trophæum istud, quod malus appellatur, saluum in naui maneat. Iam clauus à CRVCE quantum abludit? & remorum vice CRVCEM fungi posse, quis non videat?

Max. Taurin. Ser. 56. tom. 3. Ambros.

Non malè, inquebat Christus, CRVCIS sacramentum in naui considerasti. Nam cum à nautis scinditur mare, prius ab ipsis arbor erigitur, antenna sustollitur, velum distenditur, ut CRVCE Domini aquarum fluenta rumpantur: & hoc Dominico securi signo, portum salutis petunt, periculum mortis euadunt. Figura enim sacramenti quaedam est, velum suspensum in arbore, quasi Christus sit exaltatus in CRVCE, atque ideò confidentiâ de mysterio veniente homines ventorum procellas negligunt. Sine arbore CRVCIS nauis infirma est; statim eam diabolus inquietat: at ubi signum hoc CRVCIS erigitur, statim & diaboli iniquitas repellitur, & ventorum procella sopitur. Vis nunc, ô Staurophila, patientiæ nauigio cæli petere portum? in ipso velo me veluti crucifixum considera, aspiciens in auctorem fidei, & consummatorem IESVM, qui, proposito gaudio, sustinui CRVCEM.

Hebr. 12, 2.

Psal. 118, 103.

Quàm dulcia faucibus meis, aiebat Staurophila, eloquia tua Domine, quæ spirituâli nauigio sæculi superare fluctus, & ad cælestem docent nauigare Ierusalem! Concupisco

pisco proinde, si ita tuæ visum bonitati, pluribus de his instrui.

Audi ergo, inquiebat Chistus, breuem mysticæ nauis descriptionem. Similis est omnis status Ecclesiæ, magnæ nauis, quæ per vndosum pelagus ad magnam potentis regni urbem properare cupit. *Nauis huius Dominus, ipse omnipotens Deus est; gubernator verò ego vnigenitus eius Filius; prosper ventus, Spiritus sanctus. Ipsum mare, hic mundus habeatur; ventorum verò varietates & turbinum, diuersis tentationibus conferantur: persecutiones, tribulationes, & pericula, fluctibus exæquantur. Promontoria & loca confragosa, hi sunt, qui in potestatibus sæculi sunt Iudices, & pericula minantur & mortes. Dithalassa loca, quæ duplicibus vnda fallacis æstibus verberantur, hypocritæ sunt, & dolosi: nec defunt piratæ, & Sirenes, aliaque innumera pericula. Iam verò rapidus vortex, & tartarea charybdis, & saxis illisa naufragia, ac mortifera subuersiones, quid aliud æstimanda sunt, quàm peccata? Viden' vt hîc non modica patiendi sit materia, ampla hîc fluctuum & tribulationum seges? sed nauis quæ longanimitatis & patientiæ asseribus compacta est, quæ bitumine timoris Dei intus ac foris benè oblita, per medias procellas securâ perueniet ad portum salutis.*

Clemen.
Roman.
Epist. i. ad
Iac. fratrem
Domini.

Admirabatur Staurophila tam accuratam tamque breuem nauticæ rei descriptionem; & In paucis verbis, inquebat, Domine, quanta mihi consideranda proponuntur! Quot virtutes exercendæ! quot pia obeunda exercitia! *Mirabiles, ô Staurophila, inquebat Christus, elationes maris; sed mirabilis in altis Dominus, huic indefinenter supplicandum, benignam largiatur auram, quâ nauigantes discrimina cuncta superent.* Si quâ deinde pusillanimitas spiritus, si animi deiectio, si tædium aut impatientia aliqua per rimas influxerit, exhaurienda statim erit conscientiæ sentina. Quam multa, inquebat Staurophila, incommoda secum adfert nauigatio, præsertim diuturnior. Sanè vt lætissimum ad patriam tendere, ita nescio quàm triste in hoc mari magno tot difficultatibus die noctuque nauigare.

Sed inter hæc tristitia, inquebat Christus, *celeusma nostrum dulce cantemus, ALLELUIA, vt lati ac securi ingrediamur sempiternam ac felicissimam patriam. Non metuat anima mare hoc magnum, cuius fluctus ac turbines sentit inimicas sæculi potestates. In Deo sperantes multi iam Sancti hos fluctus spreuerunt, multi calcauerunt, multi per aquas securi ad patriam peruenerunt. Sed, inquebat Staurophila, multi quoque naufragium fecere,*

Psal. 92, 4.

Clemens
loc. cit.

August. de
Cant. nouo
c. 2. Tom. 9

cere, multi submersi sunt in profundum quasi lapis.

Quid tum, inquit Christus, absque naui non transitur pelagus; qui decumanos fluctus, qui procellas & tempestates exhorrescit, usque cedit, mirum non est si naufragium patiatur. Peritus nauta omni vento prosperè nauigat; nouit enim velum ita obliquare, vt contrario etiam vento portum petat. In mari non semper malacia, nec vllum nauigium à procellâ liberum. *Non enim nihil significat nauis illa portans me, & Discipulos meos, quæ contrario vento laborabat in fluctibus. Si in naui pericula sunt, sine naui certus interitus. Opus ergo naui, vt huius mundi submersionibus vindiceris.*

August.
Serm. 22.
de Diuersis
edit. Lo-
uan.

Verùm, ne quid præteream, occultum inimicum, ac valdè fraudulentum, qui nauim validè remorari possit, hîc tibi detegam. Quantâ potes sollicitudine & curâ, ô Staurophila, illud cura,

Ne vita ipsa tuæ immittas Echeneidacarnem,

Nazian. in
Carm. ad
Virgin.

Quæ veluti iniectâ properantem compede puppim

Detinet, ac tantam cogit subsistere molem.

Voluptas carnis, mundiq; prosperitas, CRUCES & tribulationes respuunt, nec aduerso vento nauigare didicerunt. Epulonis nauis

nullam habebat CRUCEM, prospero utebatur vento, sed hoc vento ad infernum nauigauit. Lazari nauis plena erat CRUCIBVS, & aduerso ferebatur vento; sed hic flatus eam in sinum Abrahæ, tamquam in portum tranquillissimū duxit. Et cum fluctus essent tam multi, vicissimque alios super alios Lazarum impeterent, non tamen demersum est nauigium. Diuitis verò nauiserat plena mercium, ac secundo nauigabat vento, verum ad naufragium festinabat, eò quòd onus nolebat circumspectè ponere.

Circumspectiorem me facient, aiebat Staurophila, monitiones tuæ, quæ munitiones quoque aduersus hostium insultus, & varias fluctuationes mihi erunt. Sed scire hoc vnicum tandem velim, an patientiæ hæc nauis optatum etiam subintret portum. Subintrat, inquiebat Christus, & quidem citissimè ac securissimè. Nec est quòd dubites, si me-

Act. 14, 21. *mineris istius: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.* Animaduertis hîc, credo, aquas tribulationum rate CRVCIS secandas, & sic peti portum regni cælorum. *Quòd autem CRUX ad patriam post multos errores redire faciat, satis declarauit, cum latroni in CRUCE posito dicerem, Hodie mecum eris in paradiso. Qui utique diu oberans ac naufragus aliter ad patriam paradisi,*
de

Ambros.

Serm. 51.

tom. 5.

Luc. 23, 44

de quâ primus homo exierat, redire non poterat, nisi fuisset arbori religatus. Sic CRVCIS rate mundi discrimina illecebrosa licet transire, ita melioris vitæ cursus non incidit in scopulos voluptatis. Acclamabat hîc Staurophila, O quàm benè nauigant, qui in nauibus Christi CRVCEM sicut arborem præferunt, atque inde explorant flabra ventorum, ut corpora sua dirigant ad sancti Spiritus gratiam, in ligno Domini tuti atque securi. Felices prorsus, qui non permittunt naues suas vago fluctu errare per maria, sed ad portum salutis, & ad consummationem gratiæ cursus sui directione contendunt, ut fidâ tandem statione potiantur, ubi naufragium timere non possint.

Ambros. in
Psal. 47.



Quadrigæ tuæ, saluatio. Hab. 3, 4.



Quam tuleram, tulit hæc me CRVX: CRVCI. et
ipsa volucres
Adde rotas; si vis currere, currus erit.